

*Landgraf Heinrich und sein Bruder, Pfalzgraf Conrad von Sachsen, verleihen dem Kloster Walkenried freie Fischerei in ihren Seen zu Weißensee an 12 bestimmten Tagen.* 1234.

- 5 *Hilschr.: Or. Perg. Landeshauptarchiv Wolfenbüttel. Die S. an rothen, weißen und blauen Seidenfäden, dasjenige Heinrichs, zerbrochen = Taf. XII. 4, das Konrads = Taf. XIII. 3. 4. Phot. II. St. A.*  
*Gedr.: Urkundenbuch des hist. Ver. für Niedersachsen 2,143 No. 193.*  
*Anm.: Vergl. Posse, Lehre von den Privaturk. 93 Anm. 3.*

:In nomine domini amen.: Heinricus dei gratia Thuringie langravius, Conradus Saxonum comes palatinus fratres omnibus presentem kartam inspecturis inperpetuum.  
 10 Ad utriusque vite felicitatem nobis prodesse non | ambigimus, si loca divino cultui dedita bonis a domino nobis concessis, eius favente ac inspirante gratia ditare curaverimus. Noverint quapropter universi fideles quod nos | divino amore contacti et carorum nostrorum memoria commoniti ob beate virginis reverentiam et specialem Walkenredensis ecclesie amorem et pauperum Christi inibi deo | famulantium utilitatem, duodecim in anno festivi-  
 15 tatum in lacis(!) nostris Wizcensie piscationes, libertati ecclesie in ministerium conventus perpetuo permansuras, unanimi consensu et deliberatione contulimus. Sunt autem festivi- tates, quas predictae indulsumus piscationi, nativitas domini, purificatio sancte Marie, annunciatio dominica, resurrectio domini, pentecosten, apostolorum Petri et Pauli, assumptio domine nostre et nativitas eiusdem, omnium sanctorum, Michaelis archangeli, dedicatio  
 20 ecclesie et visitatio. Quod si aliquam istarum festivitatum aeris intemperies aut ipsorum incommoditas interceperit, ita ut piscari non poterint, liceat ipsis ex indultu gratie nostre tempore, quo eis libuerit, i[d ip]sum<sup>a</sup>) restaurare, hoc addito et pro memoriali familiaris benivolentiae observato, quod nostri retia, naves et omnem apparatus piscationi necessarium sine molestia contradicti[onis ex]hibebunt<sup>a</sup>). Ne quis igitur maligne suggestionis aut  
 25 temerarie presumptionis extraneus vel indigena huius nostre donationis invasor aut contradictor existeret, hanc nostre confirmationis paginam in omnem posteritatis memoriam volumus exhiberi sub probabili sigillorum dependentium testimonio. Huius rei testes sunt: Dominus Conradus magister curie hospitalariorum in Wizcensie. Comes Heinricus de Kirkberch. Albero de Vichbeke. Rodolfus pincerna de Varila et Hermannus filius  
 30 suus. Berthogus dapifer de Sladheim et Cunemundus frater suus. Albertus de Eueleuen. Theodericus Merzo. Conradus Unrûwe. Hedenricus magister fori. Acta sunt hec anno incarnationis domini M. CC. XXXIII., indictione VII., domino Ritando maiore cellerario, domino Sifrido subpriori id promoventibus sub venerabili domino Bertoldo abbate, presidente sancte Romane ecclesie summo pontifice papa Gregorio, regnante Romanorum imperatore  
 35 Friderico et illustri Heinrico filio eius regni sceptrum tenente. Amen.

(SFR.)

(S.)